



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

Cap. I. Quid est iuramentum, cuiusnam virtutis actus, & quoniammodo
diuidatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

Examen III. de iuram. circa Mandat. 65

latra adoratione, qua ipse Christus adorandus est? Poteſt, imo debet; quia imago cum exemplari, & exemplar in imagine adoratur. Ex eodem.

Canis.

28. *An adoranda nomina IESV, & MARIAE Maximè: adoratione quidem respectiva, propter eum, quem repræsentant, & ad quem diriguntur. Adhuc Canisius.*


Canis.

29. *Quidnam de cereis iuxta reliquias vel imagines Sanctorum accendendis, reliquiis ad collum appensis deferendis, agnis cereis adorandi? Licitum planè cereos accendere, deferre reliquias. Num speciale peccatum committitur ab eo, qui delinquit, cum reliquias ad collum gerit? Minimè. Agni denique cerei adorari debent uti imago IESV. At vendi, aut minio, auro, aliòve colore pingi sub excommunicatione prohibentur.*

Bellar.

30. *Ut reliquia alicuius Diui recens inuenta possint adorari, quidnam procedere debet? Sunt ab Episcopo approbandæ. Ad huiusmodi autem approbationem requiritur in primis certitudo moralis, non autem evidentia, quæ nitatur infallibilibus argumentis: deinde ut ille Sanctus sit canonizatus.*

Bellar.



E X A M E N III.

De legibus in particuliari circa materiam de
Iuramento & Blasphemia.

C A P V T P R I M V M.

*Quid si iuramentum, cuiusnam est virtutis actus, &
quoniam modo dividitur?*



I. *Vidnam iuramentum? Si nominis etymon spectes. Actio est, qua Deus in testem inuocatur; si interiorem essentiam. Affirmatio est, vel negatio, sacræ rei attestatione firmata, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam. Tria quidem ad illud concurrunt, intellectus necessitatem, vel utilitatem propnens, voluntas iurandi intentionem addens, & lingua, se in one iuramentum complens.*

2. *Num malum intrinsecè iurare? Minimè, & ideo nec iure naturali, nec in lege gratia prohibitum, si debitæ seruentur circumstantiae.*

E

3. *Bonum*

66 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*

3. *Bonum ne iuramentum, debitis seruatis circumstantijs*
Bonum planè, & actus Religionis, ad quam si debitus modus
in iurando seruetur maxime pertinet.

4. *Licetum ne per creaturas iurare?* Ita quidem, neque id
est à Christo prohibitum, nec alio positivo iure, nisi scandalum
adsit. Per irrationales absolute iurari non potest, sicuti
per rationales, ut Sanctos, & viatores: suo autem modo licet
potest: nullo autem modo per dæmones, & damnatos.

5. *Differunt ne specie iuramenta per Deum & creaturas?*
Absolute loquendo non differunt; si tamen creaturæ secun-
dum se sumptæ accipientur, sic utique differunt.

6. *Quinam iuramenti finis?* Confirmatio veritatis: ad eam
etenim iuramentum comparatur sicut principia ad conclu-
sionem.

7. *Quotuplex est iuramentum?* Quadruplex. Assertorium,
in quo affirmatur, aut negatur aliquid præsens, vel præteri-
tum. Promissorium, in quo futurum affirmatur, vel negatur
promittendo. Comminatorium, in quo promittitur malum
poenæ. Execratorium, in quo siue promittendo, siue asseren-
do, aliquid affirmatur, vel negatur, sibi apponere poe-
nam iurante. Comminatorium quidem ad Promissorium,
Execratorium autem ad Promissorium, & Assertorium re-
ducatur.

8. *Assigna iuramenti materiam & formam?* Materia qui-
dem res contingens esse debet: verba autem, sufficientiæ
signa sunt ad formam. Verum ex parte formæ triplex est. Pri-
mum verba'le, cum sit solis verbis. Secundum corporale, cum
solis corporis actionibus geritur. Tertium mixtum, cum si-
gnum ex verbis factisque compositum est.

C A P V T II.

De Iuramenti conditionibus.

9. *Veniam adesse Iuramento conditiones requiruntur ex*
parte eius, per quem iuratur? Debet per Deum verum
fieri, ut obliget, siue explicitè, siue implicitè per creaturas in
ordine ad Deum. Nam si per falsos Deos fiat, non obligat, nisi
ratione erroneæ conscientiæ. Ideo infideles conuersi ad sua
iuramenta non tenentur, licet tamen pacta inter eos inita
firme sint ex obligatione iustitiae, vel fidelitatis. Nec fidelis
si per Deos iures ex vi iuramenti adstrictus est. Nec iura-
mentum